

Letter 204: 22 June 1524, Reutlingen, Johann Zwick to Capito

The manuscript of this letter is in the Universitätsbibliothek Basel, Ki. Ar. 25a, #66.

Io. Zuic Capitoni ex Rüdlingen 1524.

Inter medios leones rapientes et rugientes expecto Domini voluntatem. His diebus vocabor amice aut violenter ab episcopo raptore parrochiae meae. Quicquid mecum actum fuerit ad te scribam. Interim rogo uti Deum pro me ores, scilicet ut fides in me confirmetur et augeatur per suam gratiam. Amen. Non potui plura. Hedionem [et] Mathiam meo nomine salutabis. Vale raptissime.

Lator presentis schedae adiutor fuit Rütlingarius, quo cum mihi non praecipua intercessit familiaritas, tamen ut apparuit doctus est et vir sincero animo, pulsus inde quod iurare noluerit antichristicos quosdam articulos. Hunc, si qua in re adiutare potes, facias, et me ama. Datum Rüdlingae. 22 Iunii anno 1524.

Tuus Iohannes Zuic.

Si quando mihi rescripturus es, potes literas Constantiam Blaurotero transmittere. Scribes autem fortassis parrocho apud Rudlingem.